

---

† R. P. Leo Durre (1882-1953)

*(Prov. Parisiensis)*

Carissimus ille confrater natus erat die 29 Aprilis a. 1883 in vico Alsaciae Superioris, qui vocatur Fréland, prope Ribéauvillé, e parentibus, quorum honestas, pietas, religio suetas condiciones oecumenicas longe superabant. Puer adeo bene custoditus succrescebat, ut postea narrare posset se primis quattuordecim vitae suae annis nullum verbum contra religionem eiusque ministros audivisse nec suspicatum quidem esse inimicos Ecclesiae existere.

Nihilo secius pueros in Fréland non tantum innocentia tractasse puerilia factum demonstrat, quod ipse refert: « Puer duodecim annorum cum sociis lu-

dens in domum paternam unius illorum veneram, qui nos in cubiculum superius duxit. Ibi subito armarium aperit et manubalistulam apprehendit. Procul dubio nesciens eam globulo oneratam esse me ferire se velle fingit meque fugientem persequitur. Fortuito hamulum retrahit, fitque diruptio magno tonitruo; sed quamvis puer stultus telo me petivisset, globulo non attactus sum. Semper hanc protectionem Beatae Virginis tutelae attribui ».

Secundum mores illius temporis Leo puer tredecim annorum per totum annum instructiones primam S. Communionem antecedentes participat et cotidie S. Missae assistit. A parochio monitus, etiam vocationem sacerdotalem considerare coepit et tamquam servulus domesticus in domum Fratrum a Beata Maria Virgine venit, qui cognita eius indole eum ad se attrahere conabantur. Cum a ceteris conservis molestiis afficeretur, parochio loci patrii scripsit, qui iam proprio Marte acceptationem in nostrum Iuvenatum *Uvrier* praeparaverat, in quem a. 1892 intravit. Studiis humanioribus bene absolutis, noviciatu pie transacto, studiis philosophicis et theologicis solide praestitis, sacerdotio a. 1908 accepto, per primum annum Sacram Scripturam, mox Ius canonicum docet et deinde missionarius destinatur.

Primo magno bello mundum perturbante capellanus nosocomii militaris a sororibus sustenti erat et bello finito per duodecim annos partes missionarii egit. Anno 1930 morbus visum adeo debilitavit, ut solum ope perspicillorum fortissimorum et insuper vitri valde convexi magnis typis impressa legere posset, sed conferentias et cursus exercitiorum per aliquod tempus e memoria tradebat, deinde tamquam sacerdos a confessionibus libentissime serviebat novitiis, confratribus, externis. Secundo magno bello in domo Argentan commorabatur, et quia linguam Germanicam tamquam linguam patriam callebat, belli duritias et simultates inter cives Gallicos et occupantes milites nonnunquam exortas aliquantulum componebat.

Eum, post bellum tres chirurgicas sectiones perpessum restanti vitae tempore vesicae cancro valde vexatum iri Superiores cognoverunt ideoque eum ad domum Studentatus in Dreux transtulerunt, quae omnium Provinciae domorum ad curam infirmorum aptissima est. Ibi, licet interdum inter ferocissimos dolores peccato Adae etiam tributum lacrimarum et clamoris praestaret, attamen forti animo crucem sustinuit. Die 7 Novembris 1952 ipse cupivit extrema Uncione muniri, per hebdomadem sequentem S. Missam adhuc ipse celebravit, deinde in lecto iacens eam participabat et Eucharisticum pignus futurae gloriae cotidie accipiebat, in quam inter orationes confratrum intravit, cum calendarium diem 20 Aprilis 1953 et horologium horam diei vigesimam exhibuerunt.

P. Durre mentis et cordis dotibus haud mediocribus insignitus erat. Dolendum est — humanum dico — quod ille qui puer in Iuvenatu, iuvenis in Studentatu semper inter primos locum obtinuerat, vir infirmatibus circumdatus his qualitatibus pro regno Dei visibiliter amplificando parum tantum uti potuit.

Studium addiscendi usque ad finem vitae retinuit. Lectiones, quas confratres ei faciebant, pro statu suo ex optimis scriptoribus eligebat, insuper cotidie orabat, ut sibi etiam ex *Analectis*, *RIS*, litteris missionariorum, Africanorum, *Voix des nôtres* (Canada) aliquid praelegeretur, atque radiophono semper intererat Missae pro infirmis celebratae multisque ceteris emissionibus catholicis. Mentem ad Deum directam etiam infirmitates et dolores non deflectere potuere. Corpore canceri tormentis vexatus, animo derelictus dicebat: « *Mysterium est, sed nihilominus bonum Deum amo* ».

Intra et extra muros Redemptorianos eius bonitas et affabilitas notae erant. Pleno iure ut missionarius in sermone peccatores ad confessionem invitans dicere poterat: « *Nihil duri habeo nisi solum nomen meum* » (Durre). Omni falso sentimentalismo alienissimus optima praestabat in exercitiis matronarum. Tenerimo modo in confessionali conscientias rigidas emollire dicebatur. Cum scrupulosis et psychopathicis patientissimus, zelo superabundabat, ut sororibus exercitia tradens, eas ad summam perfectionem fortiter impelleret. Maximam temporis partem domi degens sacerdotum frequentissimus confessarius evasit, quorum multos verbis Rev. Dom. Rattier, archisacerdotis Argentomiensis (*Argentan*), fidelis filii eius spiritualis, consentire putamus: « *Admirabar eius bonitatem et patientiam, maxime autem eius humilitatem. P. Durre pater meus erat* ». Alius ita iudicat: « *Nunquam P. Durre in animas sibi confidentes quadam vi imperiosa dominari conabatur, sed semper clara intelligentia, iudicio aequo, profunda erga libertatem clientis reverentia nihil dictatorie imponebat. Imponebat sola necessaria, et sacrosanctum integrumque retinebat meritum actionis plene liberae. Minime aegre ferebat, si consilia data non in omnibus punctis perficiebantur, sed firmus permanebat in suis decretis. Longum tempus contendebat, ut me orationi mentali intentum redderet. Refragabar, eam tantum « spiritus tensionem » considerans; sed denique P. Durre victor fuit* ». E nube testimoniorum haec duo sufficiant.

Omnes confratres, qui Patris Durre convictu fructi sunt, dicunt, eum optimum religiosum fuisse, qui ea, quae in professione Deo voverat, integerrima observantia usque ad ultimum vitae spiritum tenuit, qui autem inconcussam tenacemque hanc fidelitatem semper coniunxit cum caritate pro confratribus et animis ad omne sacrificium parata atque affabilitate corda capiente, qui studium cotidie progrediendi in morte perfecit magno illo progressu ex exilio ad patriam, ubi certe speciali gloria gaudet iis praeparata, *qui venerunt de tribulatione magna* (Apoc. 7, 14).

P. DUHARDEL - H. NIEMANN